











i. S: 7. Oct: 69. Rip:
V. S: 5 May. 70. Rip:

N°= 71.





Vespere jam venit; nobiscum, Christe, maneto,
Extingui lucem ne patiere tuam.
Lipsiæ 6 Maji 70.

57 X

Terra Dei est, et ubiq. sumus sub tegmine coeli,
Defuncti et vivi, Christe benigne, tui.

Turpe est, virtutem dedidicisse datam.
Propert.

Defricationes adversantur voluptatibus.
Cic: l. de fin:

ELEGIACVM DE MORTE,
PASSIONE ET RESVRRE-CTIONE DOMINI NOSTRI IESV Christi, Saluatoris mundi vnici, & redemptoris generis humani.

IN HONOREM ORNATISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI, D: PETRI SEVERINI *Ripensis, Regiæ Maiestatis Archiatri fidelißimi, Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris facilè primi, Dni: sui ac Mecœnatis summa obseruãtia colendi, gratitudinis ergò,*

dedicatum à

PETRO FRANTZIO F:

HAFNIENSE.



HAFNIAE
Apud Matthiam Vinitorem.
1582.

L

AD D: PETRVM SEVERINVM RIPENSEM, FRIDERICI II. REGIS *Daniæ Archiatrum.*


Lare vir Aonij celeberrima gloria cætus,
Qui pia Doctoris munia fidus obis.
Accipe quæ summi cecinit de morte tonan-
Pieris, ex sacris qualiacunque libris. (tis
Carmina sunt fateor non tanto digna patrono
Nam mihi de riuo paupere vena fluit.
Attamen haud malegrata tuis fore vultibus illa
Credo, faues studijs doctior ipse bonis.
Quando fertilior veniet mihi messis in herba,
Et potero ingenio nobiliore frui:
Tunc meliora dabo Musis Phœboque iuuante,
Seruiet & laudi nostra Thalia tuæ.
Viue igitur studij Mecœnas inclijte nostri,
Atque boni versus consule quæso meos.
Non prius immites præcidant stamina Parcæ,
Nec rumpant vitæ languida fila tuæ.
Tempora quàm longæ videas tranquilla senectæ,
Exuperent Pyleos & tua fata dies.

P: F: F: H:



VOs quæ Parnaſsi colitis iuga ſumma ſorores
Iucunda blandum dicite voce melos,
Caſta Thalia veni vati da noſcere colles
Muſarum, et raucæ plectra moueto lyræ.
Nam rigidam mortem Chriſti quæ dona ſalutis
Emeruit, breuiter noſtra Thalia canet.
Ergò Chriſte precor, firmas in carmine vires
Suffice, ne ceptum deſtituatur iter.

CHriſtus vt humanam pura de virgine maſſam
Suſcepit lotus Iordanis inter aquas.
Cæleſtis patriæ non immemor, vndiq; ſparſit
Æterni patris, dogmata grata, ſui.
Prodigijs multis quæ confirmauit, & illis
Signis, quæ ſoli ſunt facienda Deo.
Exutos vita ſuperas reuocauit ad auras,
Et dedit infirmis viſcera firma pijs.
Leproſos etiam lepra mundauit ab omni,
Reſtituit cæcis lumina clara viris.
Illi quæ ſpecies morborum cunq; fuere
Ceſſerunt, illo vita volente data eſt.
Impia ſe patuli docuit quod crimina mundi,
Tollere promiſſum munus ab axe poli.

Annorum postquam vitæ sex lustra repleuit,
Et fugienda monens & facienda docens.
Intrepidus claram Solymorum scandit ad vrbem,
Discipuli bis sex pone sequuntur eum.
Vt pro peccatis mundi velut agnus in ara,
Extensæ fieret victima grata crucis.

EST in conspectu decliuis tramite collis,
Insignem fama pinguis oliua facit.
Desuper aduersas Solymorum conspicit arces,
Hunc iuxta celebri Betphaga læta situ.
Discipulis duci hîc tardum sibi mandat Asellum
Cum pullo, adductis mœnia celsa petit.
Obuia turba ruit regi veniente supremo,
Et resona Domino iubila voce canunt.
Pars ornare vias palmis, pars vestibus ardet,
Et quocunq; potest quisq; placere placet.
Impiger, intrepidus veniens, sacra limina templi
Ingreditur, populis dogmata viua docens.
Iussa facit patris turpes turbatq; trapezas,
Vendentes sancta pellit ab æde viros.
Ardua cum nitidi renouasset limina templi,
Non mora Bethaniæ tecta propinqua subit.

Mane

Mane nouo, primo cum luxit margine Phœbus,
Ad Solymas arces inde relegit iter.
Post hæc innocuum ſemper gens turbida Chriſtum,
Tradere quærebat, proh dolor, ipſa neci.
Et quamuis fuit in crimen tam prompta voluntas,
Ipſi ſucceſſum non habuere doli.
Donec ſponte pati pro mundo extrema volebat,
Vt lueret letho crimina noſtra ſuo.
Siue quod æterno voluit parere parenti,
Seu quod eum noſtri ſpontè mouebat amor.
Tempus erat quo certa Azymorum feſta dierum,
Iuſsit Iudæis pagina ſacra coli.
Et quoniam veteris Chriſtus memor atq; futuri
Paſchatis, hunc voluit concelebrare diem.
Mittit oliuarum binos de monte miniſtros,
Qui cænaturis nobile paſcha parent.
Continuò Domini mandata benigna capeſſunt,
Et Chriſto celeres hoſpita tecta petunt. parant
Hoſpes in aduentum Chriſti parat omnia lætus,
Apponit magna ſedulitate dapes.
Eligit innocuum teneris ab ouilibus agnum,
Cui non in toto corpore menda fuit.
Immolat: & verubus transfixum torret ad ignem,
Cænaq; conuiuas ritè parata capit.

 His

His præsens, traherent cum sera crepuscula noctem,
Sub iusto cœnæ tempore Christus adest.
Et cum bis senis celebrat pia festa benignus
Discipulis, omni post memoranda die.
Instructas longo circum stant ordine mensas,
Cum Domino capiunt fercula lauta suo.
Inde Sacramentum magno confirmat amore,
Christus amicitiæ fœdera firma nouæ.
Dans cererem, corpus proprium: Sed sanguine vina
Comparat, & cyathis euacuanda suis.
Præterea, vt veri documenta relinquat amoris
Discipulis, manibus membra caduca lauat.
Temperat & curas, dictis & pectora mulcet,
Et de morte sua multa dolenda refert.
Primus vbi perijt liuore Draconis Adamus,
Et temerè donis excidit ipse suis.
Sæuum de vetita decerpens arbore malum,
Emeruit natis, tristia fata, suis.
Verus honore Deus, membris homo purus, in horto
Incipit ex hominum Christus amore pati.
Flumina trans Cedron cum processisset Iesus,
Ardentes patri fundit ab ore preces.
Abba pater precor instantem da euadere mortem
Si placet, arbitrio stoq; cadoq; tuo.

Interea

Interea Iudas tacitus ſæuiſsima Chriſto
Et recutitorum vincula turba parat.
Siſtitur ante Hannam, Iudas dat baſia ficta,
Et patitur duras hoſtis in ore manus.
Aſt Hannam Caiphæ, Caipham miſiſſe Pilato
Immiti Chriſtum, pagina ſacra docet.
Candida cum Chriſti leſiſſet membra dolores,
Suſtinuit ligni pondera dura crucis.
Anxietate dolens, ſic fatis ora reſoluit,
Da veniam hæc, veri neſcia turba, facit.
Iohanni matris commendat ducere curam,
Ne petat ob natum preſſa dolore necem.
Dulcia ſollicito dein fatur verba latroni,
Mox ſcandes mecum lucida regna poli.
His dictis clamans magno ſermone ferebat:
Noſtri chare parens immemor eſſe potes?
Occupat & linguam noſtram & ſitis arida fauces,
Dicta Prophetarum cuncta repleta ſcio.
Confeſtim inclinans caput hæc ſuprema parenti
Dicta refert: noſtrum ſuſcipe πνεῦμα precor.
Spiritus interea ſuperas volitauit ad auras,
Clauditur hinc viridi triſte cadauer humo.
Tertia lux aderat qua mundi Hyperione natus,
Luſtrabat radio candidiore plagas.

Deletor vitij, torti victorq; Draconis,
Extulit è putrido candida membra solo.
Suscipit hunc regem magni lux aurea celi,
Discipuli Dominum concelebrantq; suum.
Desine propterea tristis malesane magistrum,
Pectore sub dubio quærere Thoma tuum.
Cedite qui Christum dubitatis ad æthera vectum,
Victori potius vota precesq; date.

AD tua nunc supplex altaria Christe redemptor
Conscendo, votis annue quæso meis.
Errantes animos recto duc tramite, Regis
Et regni curam suscipe summe Deus.
Da tener vt viuat princeps pietatis amore,
In patris & patrij spemq; decusq; soli.
Et vigeat sancto florens Academia cultu:
Da maneant studijs, tempora læta, bonis:
Vt te perpetuò celebremus honore, tuisq;
Pro donis grates grata Thalia ferat.

Τέλος καὶ μόνῳ
τῷ θεῷ δόξα.

Discordia res maxima dilabuntur.
Sall.

Vera gloria radices agit, atq etiam propagatur.
Cic:

Somnolentia pastorum est luporum gaudium.

A contestata majorum virtute non degenerandum.
Cic.

71.